

ficat absolute; at signum, vel primus, aut secundus modus significat rem aptam concipi ordinate, & quidem ex natura rei, & non tantum ex libito intellectus fingentis; Cum igitur divina quoque essentia ita sit ex natura rei constituta, ut quaedam perfectiones pertineant ad eam esse primarium, & in primo perfectionis modo, qualia sunt predicata quidditativa; quaedam vero consequantur eam in esse veluti secundario, & in secundo modo dicendi per se, quales sunt perfectiones attributales; sic patet cum veritate dicere possumus, & absque ulla fictione predicata primi generis prius natura ei convenire, quam predicata secundi generis; illaque ei competere in primo signo naturae, caetera vero in secundo.

132 Ex quo tandem deducitur in divinis essentialia debere natura praecedere notionalia, ut ostendit Doctor quol. 1. & absoluta praecipiendi esse respectivis, & attributa relationibus originis, & inter absoluta communiora minus communibus, ut ratio substantiae praecipiendi est immaterialitati, & immaterialitas intellectivitati, & haec appetitivati; item intellectio volitioni, & actus utriusque potentiae ad intra procedere debent eodem, ut terminatos ad extra; & eodem modo discurrendum est de caeteris perfectionibus tam absolutis, quam respectivis, vel seorsum consideratis, vel invicem comparatis, vel ad intra, vel ad extra. Ex quibus omnibus bene perspicitur, & consideratis facile diluuntur objectiones Advertisementum contra huiusmodi signa naturae a Scoto frequenter assignata in divinis, quae videri possunt apud Fabrum disp. 25, cit. cap. 2. plura etiam de hac materia videri possunt apud Greg. Scherium disp. 6. De Deo Trino, & Uno, quae. 12. more tamen scriptura veterum Scottiarum, ubi etiam quamplures in Scoto apparentes contradictiones de huiusmodi signis naturae, & originis concordate fatagitur.

QUESTIO QUARTA.

De Immutabilitate Dei.

An Deus sit immutabilis tam physice, quam moraliter, & quomodo cum tali immutabilitate cohaereat divina libertas ad extra.

ARTICULUS PRIMUS.

Status Controversia declaratur.

133 Ad intelligentiam tituli questionis supponendum est ex dictis in Physica mutationem esse transitum, a privatione ad formam intrinsecam, vel a forma ad privationem; & dividi in substantialem, & accidentalem; substantialis est, cuius terminus est substantia, vel partialis, ut in generatione, & corruptione, vel talis, ut in creatione, annihilatione, & transubstantiatione; accidentalis vero est, cuius terminus est accidens, quae rursus duplex est, alia physica, quae passim exercetur per variationem accidentium naturalium in rebus physicis; alia moralis, quae sola exercetur in voluntate, seu potentia libera per actus liberos, & in nobis annexam semper habet physicam mutationem, quae de uno actu mutatur in aliam. Hic ergo quaritur an Deus sita immutabilis, ut utrumque mutationem, & cuiuscumque generis a se penitus excludat; & quidem Deum esse immutabilem quacumque physica mutatione, nedum Fides docet in Concilio Laterano, ut refertur cap. Firmiter de summa Trinit. & Fide Catholica & passim Scripturae, sed etiam Arist. cum caeteris Philosophis naturalium lumine ductus 8. Phys. & 1. de Caelo summa 9. dicens divinam vim intransmutabile esse necesse est, omne primum, ac maxime summum, quod ex variis eius attributis solent probare Theologi: nimirum ex necessitate essendi; quia implicat intelligere id, quod est summe necessarium, transire de non esse ad esse, aut e contra, quia summa necessitas non permittit, ut non sit, vel non esse possit, quod necessitas est esse: Tum ex ratione puri actus qui ex sua formali, & praecisa ratione omnem potentialitatem negat ad aliquid recipiendum, atque ita est immediata immutabilitatis causa. Tum ex infinitate, quia infinitum simpliciter est, cui nihil entitatis, & perfectionis deest eo modo, quo possibile est

omnem perfectionem in ipso contineri, atque ideo incapax est omnino incrementi, vel decrementi perfectionis. Tum etiam ex summa simplicitate, quae excludit omnem compositionem, vel componibilitatem, mutabilitas vero importat potentiam ad aliquam compositionem cum ea nempe forma, ad quam fieret mutatio; de quo sus tractat Doctor ex Instituto 1. d. 8. q. 5. ¶

Sed quamvis hoc adeo clarum sit, & apud omnes indubitatum, Poncius nihilominus in suo Cursu Teol. disp. 3. q. 3. num. 24. existimat difficultate convinci posse aut ratione, aut auctoritate, quod Deus non possit recipere in se de novo respectum similitudinis, aut dissimilitudinis ad creaturas de novo productas, supposito tamen quod ipse creature dicantur ad invicem similes, aut dissimiles per respectum superadditum distinctum ab extremis; similiter existimat ex suppositione, quod extrema creata, quae uniantur, uniantur duplici unione subiecta in iisdem extremis, non facile impugnat posse, qui diceret, quod Verbum divinum uniretur naturae humanae per unionem in se receptam, utrumque probat; Quia quod ad auctoritatem spectat, nulla potest adduci ad propositum magis virgens, quam quae asserunt Deum esse immutabilem; Sed ad hanc responderi potest, quod sine dubio loquantur de immutabilitate excludente mutabilitatem, quae argueret imperfectionem in Deo, nam certe alia non debet asseri convenire ipsi, & certum est, quod non sit immutabilis ad multas denominationes, quas de novo potest habere, quia, mutabilis ad tales non arguit imperfectionem in ipso, sed potius perfectionem; sed postea dicit, quod mutabilis ad relationes, & unionem praemissam non argueret in ipso imperfectionem; ergo ex auctoritate non potest sufficienter probari, quod non sit sit mutabilis; probatur minor ultima, quia relatio similitudinis, aut dissimilitudinis, aut unionis non tolleret ad Deo perfectionem ullam ipsi competentem, nec formaliter, nec dispositivè; nec ex eo quod poneretur in Deo, posset colligi ullo dicitur, quod ullum ex praedictis necessarius ipsius esset imperfectum, nec denique ostendi potest ex quo capite esset imperfecta mutabilis ad illas. Hic deinde probat, quod necne quoad rationem etiam talis mutabilis dedecet Deum, nam quod dicitur solent ex infinitate Dei colligi posse, quod ipsemet sibi omnem denominationem intrinsecam praestare possit, quae am ulla forma intrinseca dare possit, non est adeo certum de denominationibus non necessariis; cum enim illis carere possit, non videtur quod illas habere possit a sua essentia, quantumvis infinita, aut ullo praedicto necessario suo; alias idem posset dici de rebus creatis, quod a sua natura, aut praedictis necessariis haberent denominationes intrinsecas similes, & uniti, quod supponitur hic esse falsum; nam ad tales denominationes praestandas non requiritur infinitas, cum ipse sit finita, non posset convinci, quod non possit a natura finita de novo oriri, nisi quia res illa potest esse sine illis, quod argumentum aequè concludit de re infinita, ac de finita. Hinc tandem postea inferitur disp. 6. quae. 2. num. 7. ait, quod sententia Cajetani, de qua infra, asserentis volitionem Dei habere esse liberam ab aliqua forma reali intrinseca superaddita Deo est insufficientis, impugnatur argumento desumpto ab immutabilitate Dei, quod ait fuisius demonstrasse in suo Commentario 1. d. 39. num. 13. quod adhuc typis non est traditus.

Hec tamen doctrina, si tali nomine coheserit meretur, valde scabrosa est, & affinis omnino errori eorum, qui ponebant in Deo quasdam intentiones accidentales superadditas divinae essentiae, ac proinde facientes cum illa in Deo compositionem accidentalem, sicut fit in rebus creatis ex accidente, & subiecto, quem refert, & consultat D. Thomas 1. contra gentes cap. 13. siquidem ab eo in hoc solùm differret, quod illi assererent de facto dari talia accidentia recepta in Deo; Poncius autem id non asserere audeat, sed ait nec auctoritate, qui debeat deseri, nec ratione convinci posse, quod Deus non possit in se de novo recipere accidentia relativa, tenendo, quod relationes dicantur accedens superadditum ab extremis distinctum. Et quidem quoad auctoritatem hoc satis sufficienter probari videtur ex Concilio Later. cit. cap. Firmiter de summa Trin. ubi definitum est, Deum esse omnino, ac perfectè simplicem, quae summa simplicitas excludit omnem huiusmodi distinctionem, & compositionem accidentalem; si enim ulla in Deo darentur, vel dari possent accidentia creata sine absoluta, sine relativa, planè facerent cum eo talem compositionem accidentalem, qualis in rebus creatis ex subiecto, &

& accidente resultat etiam respectivo, hoc enim quoque veram faceret compositionem cum subiecto, cui advenit, si teneatur esse quid extremis superadditum, ostendit Doctor 2. d. 1. q. 5. §. ad 1. alterius opinionis; Et quod attinet ad rationem, ex hoc eodem medio divinae simplicitatis probat Doctor 1. d. 3. q. 5. §. huius exclusivae. Deum esse immutabilem ad quaecumque formam realiter distinctam, quia si Deus, inquit, est perfectè simplex, ut probatum est ex infinitate; ergo non potest mutari ad aliquam formam, quae in ipso recipiatur; Et rursus ex eodem medio 1. d. 36. q. 2. §. ad 2. quae. adhuc specialiter probat, Deum recipere non posse relationem realem ad creaturas ex Aug. 11. de Civit. Dei cap. 10. quia enim Deus (inquit) perfectè simplex est, nihil est in eo, quod non est ipsum, etenim ex Aug. ibidem. Deus simplex est; quia hoc est, quod habet, ex quo Augustini loco sumitur commune illud essatum ab omnibus plausibiliter approbatum, quod quicquid est in Deo, est ipse Deus; ex quo palam deducitur non posse quicquam esse in Deo, quod sit accidens Dei, sed omnia quaecumque sunt in Deo, omnia sunt substantia ipsa Dei; quae auctoritates, & rationes ad huc ad improbandum iam adduxi cum Scoto disp. 8. Log. quae. 5. §. art. 1. Hoc etiam efficacissime deducitur ex ipsa ratione actus puri, nam actus purus ex sua ratione formali, & praecisa negat omnem potentialitatem ad quaecumque formam realiter distinctam; ergo nequit Deus recipere de novo accidentia relativa sine imperfectione; antequam constet ex ipsa ratione actus puri, qui de se excludit omnem potentialitatem; consequentia probatur, nam proxima, & praecisa causa, cui repugnet, subiectum mutari, est ipsa repugnantia, sed incapacitas subiecti ad mutationem, quam incapacitatem formaliter importat exclusio ipsi totius potentialitatis.

135 Respondet Poncius loc. citat. negando consequentiam, sicut enim non est imperfectio in ipso recipere denominationes a rebus limitatis, ita non videtur esse imperfectio in illo recipere formas, a quibus eas intrinsece habere possit; neque enim minus videtur decere Deum recipere relationem unionis, quae uniatur naturae humanae, quam uniti ipsi absque relatione sibi intrinseca per terminationem unionis recepta in natura. Haec tamen est ineptissima responsio, & indigna Theologo, omnes enim admittunt praedicta quaedam accidentalia, & contingentia dicit de Deo ex tempore; quia non sunt intrinseca ipsi Deo, atque ideo nullam in eo arguunt potentialitatem, aut compositionem, sed sunt relationes rationis, vel denominationes extrinsecae actionibus, quas exercet ad extra, & caperent de novo dici de Deo in tempore, & possunt pariter desineri dici de Deo; falsum est ergo, non minus decere Deum recipere relationem unionis in se, quam terminatam unionem in ipsa natura receptam, nam prima receptio argueret in ipso potentialitatem aliquam passivam ad formam realiter distinctam, quae dicit imperfectionem, quod non dicit simplex illa terminatio, quae exerceri potest sine ulla proposita potentialitate, ac imperfectione; Respondet rursus, quod cum dicimus, Deum esse immutabilem hoc intelligi debere de immutabilitate, quae dicitur per perfectionem, & quae excludat mutabilitatem arguente imperfectionem; unde si esset aliqua mutabilitas, quae non involveret imperfectionem, illam non excluderet immutabilitas, quae convenit Deo, talis autem est mutabilitas, in quod denominationes reales extrinsecas, nam has in tempore amittit, & deperdit, & sic etiam dici posse videtur de denominationibus intrinsecis, tam enim sunt denominationes limitatae illae, quam istae. Haec chimera distinctio de duplici mutabilitate involvente, & non involvente imperfectionem coincidit cum aliis eiusdem Auctoris inferius quae. 8. reiciendis de compositione, & potentialitate involvente, & non involvente imperfectionem; sicut enim ibi dicimus has distinctiones in terminis implicare, quia, nisi vicemus terminis abuti, compositio, & potentialitas ut sic, ex suo formali conceptu imperfectionem involvunt, ac extremorum limitationem, sic in proposito dicimus, hanc quoque de duplici mutabilitate imperfectionem involvente, vel non involvente in terminis implicare, quia ut constat ex 6. Phys. 32. mutari est, rem aliter se habere nunc, quam prius, unde mutatio dicitur esse transitus a privatione ad formam mobili intrinsecam, vel a forma ad privationem, aequè ideo in suo formali conceptu imperfectionem involvit; ex quo deducitur, valde improprie dici Deum esse mutabilem quoad denominationes reales extrinsecas, quia si forma intrinsece non recipitur in subiecto, nequit dici per eam

mutari, & aliter se habere nunc, quam prius, quia nunquam verum est dicere, quod aliquid in se verè, & physice habeat, quod prius non habebat, aut e contra. Et quoniam Poncius consequenter ad distinctionem datam de duplici mutabilitate involvente, & non involvente imperfectionem, fortè dixeret etiam, quod si Deus reciperet relationem unionis realem, aut aliam, talis forma non faceret cum eo compositionem involventem imperfectionem; Præterquamquod hoc esset merè voluntaria dictum, quia hoc idem pariter dici posset de quacumque alia forma; impugnatur etiam ex sua propria doctrina, nam dist. 3. cit. quae. 2. de simplicitate Dei nu. 16. explicans, quae sit compositio dicens ex natura sua imperfectionem, ait, illam esse, quae versatur inter sola plura, quorum quodlibet, aut alterum dicit finitatem, ac limitationem, & unum realiter distinguitur ab alio, ac tandem eorum unio ab influxu cause extrinsecae dependet; Sed haec omnia intervenient, si Deus reciperet relationem a se realiter distinctam, ut patet, quia haec esset entitatis finitas, & limitata, realiter a Deo distingueretur, & eius unio cum Deo dependeret ab ipso Deo, ut causa efficiente extrinseca; ergo ex eiusdem doctrina talis relatio faceret cum Deo compositionem involventem imperfectionem; atque ideo erroneum omnino est dicere, nullam assignari posse rationem, quod Deus nequeat recipere relationes reales ex tempore, supposito quod dicantur accedens realiter extremis superadditum; nam in sensu, quo id defenditur à Nominabilibus tantum non meretur consistam, ut dictum est disp. cit. Logica.

Ex his ad primam Poncii rationem, præterquamquod ostensa est inanis illius distinctio de mutabilitate involvente, & non involvente imperfectionem, negatur ultima minor cum eius probatione, nam ut ostensum est, laederetur summa Dei simplicitas, quia talis relatio faceret compositionem veram, & propriam cum Deo involventem imperfectionem, & tolleret ab eo rationem actus puri, quia Deus esset subiectum potentiale ad eam formam suscipiendam. Ad aliam, quaequid sit de illa ratione ex infinitate Dei deductam, quod non sit receptivus formam realiter distinctam, quia omnis intrinseca denominatio ab eis proveniens ex ipsa infinitate desumi potest, dico, alias rationes non deficiere validas ad id convincendum, nempe ex ratione puri actus, ex summa Dei simplicitate, ac eius perfectae necessitate, his enim visis utitur Scotus ad probandum, Deum esse immutabilem ob quaecumque formam 1. d. 8. q. 5. & speciatim non esse suscipiendum relationis ad creaturam realiter distinctae 1. d. 30. q. 2. At instat Poncius, immutabilitatem Dei ad recipiendas de novo formas probari non posse per locum intrinsecum ullo modo per necessitatem, existentem, ac per consequens aliquid; quod perfectè esse idem Deo (nam quicquid est in Deo est ipse Deus) non esset, vel posset non esse aliquo alio, quod non est necessarium esse non existente, relatio autem realis de necessitate coexistit ad suum esse reale terminum illius relationis; ergo in Deo non potest esse relatio realis ad aliud a se; haec etiam eandem immutabilitatem ostendit Doctor ibidem ex simplicitate etiam capta prout excludit componibilitatem cum aliquo realiter distincto sibi intrinseco, quia enim Deus perfectè simplex est, nihil est in eo, quod non sit ipsum, ex Aug. loc. cit. Et negatur, immutabilitatem ad formam realiter distinctam esse ita expressè, & per se primò de conceptu simplicitatis eo modo sumptae, ut non possit per ipsam de Deo ostendi a priori; etenim negationes necessario consequentes aliquam affirmationem, per eam a priori ostenduntur de illo, cui convenit talis affirmatio; & sic in proposito negatio muta-



jam in tempore productum; quam alium possibilem produci, & non alia ratione, nisi quia hunc volitione libera, & effectus, illum vero volitione, & complacentia quadam necessaria in ordine ad esse possibile tantum; ergo mundus iste jam productus non habuit esse existentia in tempore ex vi volitionis necessaria; Tum quia in nostra voluntate bene explicatur libertas per hoc; quod possit actum amotis producere, & non producere sine alio prae-actu, quia talis actus est vitalis, & immanens, & formale exercitium libertatis; & non productio est perfectio vitalis, & immanens, quae possit denominare Deum liberè volentem; unde etiam si admitteremus fictionem illam, seu suppositionem, quod ignis praesente combustibili potestatem haberet comburendi, & non comburendi (quae tamen suppositio admittenda non est ex regula à Scoto assignata pro rite disputando 1. d. 2. q. 2. §. contra istam cum sit suppositio repugnans per locum, ab intrinseco, quod enim causa necessaria postis requisitis non agat necessario quantum est de se, idem est, quod non esse causam necessariam, quae est implicata in objecto) non diceretur ignis liberè velle, sed solum liberè comburere, seu potius contingenter comburere, neque talis esset actio vitalis; quare constat tale exemplum potius ineptum esse ad explicandam libertatem divinae voluntatis ad extra, & omnino falsum esse, non esse de conceptu potentiae liberæ, quod si voluit, ut ajebat Heriz, nam libertas est differentia condividens cum naturalitate potentiam vitalem, naturalitas constituit potentiam intellectivam, libertas volitivam, ergo implicat dari potentiam liberam, quae non fit volitiva.

146 Ad illud tandem, quod addebat, in potentia libera posse producere, & non producere amorem esse perfectionem, at quod per illum actum denominetur amans, aut volens, esse imperfectionem, quia denotat potentialitatem intrinsecam, facile occurrunt ex doctrina Scoti cit. 1. d. 39. negando imperfectionem esse in voluntate, quod dicitur amans, aut volens, quia voluntas etiam nostra non ex eo praecise dicitur volens, quia volitionem in se recipiat, nam si volitionis entitatem absolutam in se haberet, & per eam non tenderet operando in objectum, adhuc non diceretur volens, sed dicitur praecipue volens, quia per volitionem jam receptam, in objectum tendit, & talis receptio merè sibi accidit, quatenus est potentia finita, & limitata, nam si talem actum haberet sibi identificatum, ut habet divina voluntas, aequè bene, imò & longè perfectiori modo determinaretur formaliter amans, volens, sicut sine tali receptione admittit Heriz in Deo denominationem volentis per volitionem necessariam, quare notanda est Scoti doctrina loc. cit. quod licet creata voluntas considerari possit, ut productiva sui actus, ut illius receptiva, & ut operativa per illum, ipsa namque actum producit, recipit, & per illum operatur, libertas tamen formaliter in ea reperitur, quatenus vult aliquid objectum, nec posita est in productione sui actus, neque in ejusdem receptione, cum quia accidit voluntati quatenus creata est, quod volendo aliquid, non habeat actum volendi improductum, sed illum prius efficiat, atque recipiat, tum quia formaliter velle, nec est efficiere, nec recipere, sed tantum per volitionem formaliter uniri objecto vitaliter, seu in objectum vitaliter tendere, unde etiam in voluntate nostra libertas consistit formaliter in tali tendentia, quae in ipsa importat realem respectum in absoluto sui actus fundatum, & ad objectum volibile terminatum, & per suum actum sic in objectum tendentem dicitur formaliter volens, quare praecisa receptione actus, adhuc potest remanere denominatio amantis, & volentis, ut constat de amore necessario in Deo.

147 Tertius modus conciliandi immutabilitatem in Deo cum libertate est Cajet. 1. p. quaest. 19. art. 4. & 5. ubi docet actum Dei liberum esse aliquid reale Deo intrinsecum, & entitatem necessariam divinae volitionis superadditum, quod potuit non esse in Deo absolute loquendo, licet semel in eo existens necessario in aeternum duret, quam opinionem Amicus cit. tribuit quoque Fonseca lib. 7. Met. cap. 8. quaest. 5. sec. 4. & 5. Salas p. 2. quaest. 6. art. 3. tract. 3. disp. 1. sect. 8. Sed Fonseca loc. cit. sect. 3. ita scribit de opinione Cajetani. Verum & haec Cajet. opinio rectè ab omnibus fere posterioribus Theologis rejicitur, est enim ut audacior aliquando, ita & parum tuta: & sect. 4. expressè inquit, actus liberus divinae voluntatis, quatenus liberi sunt, non includere ullam perfectionem, quae in Deo potuerit non esse, ut ajebat Cajet. & Salas cit. sec. illa 8. num. 104. concl. 4. asserit actum

liberum in Deo non esse perfectionem superadditam entitati necessariae Dei.

Sed quicquid sit de hoc, nam isti Auctores satis confuse loquuntur, & fortè ab opinione Cajetani parum distant; planè hic dicendi modus sustineri non potest, ut interim ab aliis abstinent censuris, quas merito Auctores ei passim incurrunt, etenim, ut in Deo salver libertatem, destruit immutabilitatem, adhuc majora incurrit absurda; Neque enim ad salvandum physicam Dei immutabilitatem sufficit liberum illum actum fuisse ab aeterno in Deo, & ex hypothesi, quod semel sit non posse interrumpi, quatenus his positis non potest divina voluntas transire à privatione ad actum, vel è contrà ab actu ad privationem, quod est non posse mutari. Non inquam, sufficit, quia si talis actus in Deo absolute potuit non esse, & ex hypothesi solum necessario durat in Deo, hoc inserti in Deo tantum immutabilitatem, quam dicunt ex suppositione, quo sensu dicitur praedestinatus necessario salvari necessitate immutabilitatis, ut distinguitur à necessitate inevitabilitatis, ut loquitur Doctor quot. 16. X. non autem inserti necessitatem immutabilitatis simpliciter, & omnimode, quae non solum excludit posse oppositum succedere ei, quod inest, in sensu composito, sed etiam excludit absolute potuisse inesse, ac in sensu diviso, & exigit, quod quicquid reale in Deo reperitur, sit summè necesse esse, ac ei identificatum summa identitate reali; ergo si actus liber, ut sic, dicitur aliquid realiter Deo superadditum, sine quo absolute potuit non esse, planè neque id erit summè necesse, quia omne tale repugnat absolute non esse, nec erit Deo realiter identificatum, quia implicat unum identificatum cum alio, sine quo absolute potuit esse, licet ex suppositione, quod semel inest, non possit amplius ab eo separari; ergo revera haec opinio facit Deum mutabilem, potentiam, & intrinsecè compositum, ac consequenter destruit summam Dei immutabilitatem, actualitatem, & simplicitatem.

Respondent aliqui ex defensoribus hujus opinionis, ut refert Suarez cit. non repugnare hanc liberam perfectionem potuisse in Deo non esse, & tamen de facto, postquam semel inest, illum identificari cum Deo; nam hoc ipso, quod aliqua perfectio adiungitur Deo, illicò ex ejus summa infinitate fit de substantia Dei, sicut filiatione, & spiratio passiva, statim ac per productionem adiunguntur Deo, identificantur cum ipso, atque ita cessant omnia incommoda, quae ex Cajet. opinione videbantur sequi. Ad haec responso immediate destruit principium illud metaphysicum ab omnibus concessum, quod separabilitas duorum sit sufficiens signum realis distinctionis inter illa, et divina voluntas, & perfectio libera, quae ei dicitur addi ab aeterno, ita se habent, quod est modo separati non sunt in sensu composito, tamen ab aeterno separati potuerunt, atque ita absolute loquendo potest divina voluntas existere non existente in rerum natura tali perfectione libera, ergo implicat, ut possint ita conjungi, quod unum transeat in realem identitatem alterius. Neque exemplum de divinis relationibus adductum est ad propositum, imò potius ad oppositum, nam illa in nullo aeternitatis instanti potuerunt non esse, sicut actus liberi, sed in tota aeternitate fuerunt omnino necessariae, sicut ipse Deus; neque in ullo signo natura, aut originis poni possunt ab essentia Dei realiter distinctae, sed semper sunt actus, & necessario cum ipsa identificatae; unde quando intelliguntur addi divinae essentiae inter personarum productionem, hoc utique intelligi non debet, quod ei adiungantur per realem additionem, quasi sint ab ea, vel in aliquo saltem naturae signo fuerint realiter distinctae, sed haec tantum additio formalis, seu cum distinctione tantum formali ab essentia per simplicem dimanationem, & pullulationem, non vero per realem productionem, & originationem ab ea; non ergo est eadem ratio de perfectione libera ab hac opinione superaddita divinae voluntatis, & de filiatione, aut spiratione passiva superaddita essentiae in personarum productione, istae namque sunt simpliciter, & absolute necessarium ut ipse Deus, atque ideo sunt omnino inde realiter cum Deo.

Deinde, impossibile est identificari realiter cum Deo, quod absolute potest non esse, & manere sub nihilo; sed perfectio libera ab hac opinione divinae voluntati superaddita absolute potest non esse in Deo, alioquin libera non esset, sed necessaria; ergo nequit realiter identificari cum Deo, vel erit vere, & essentialiter Deus ipse, quod potest non esse, & quod reipsa, quantum est ex se, potest manere sub nihilo. Tum quia si aliqua perfectio est in Deo, quae potuit

potuit non esse Deus, quia est libera, modo tamen est identice Deus; eo quod cum semel inest ei ab aeternitate, non potest amplius non inesse: ita pariter concedenda erit aliqua perfectio libera possibilis, quae licet modo sit nihil absolute, tamen potuit esse Deus, quod quidem sicut libere Deus voluit ab aeterno mundum huic esse futurum ita absolute loquendo potuit decernere oppositum, quae nemum divinae naturae omnino repugnant, sed etiam ipsi lumini naturali, quae de causa Physicophi potius libertatem Deo adimere voluerunt, quam eam in ipso admittere cum tanto divinitatis praedictio, ac detrimento; Denique totam hanc Doctrinam discrete tradidit Scotus loco cit. 1. d. 39. ubi docet divinam voluntatem non esse liberam ad oppositos actus, eo quod hoc foret imperfectionis, sicut in nobis, qui de uno actu mutatur in alium, aut de privatione ad actum, vel de actu ad privationem, docet autem illis verbis, §. iuxta praedicta, voluntas divina non est indifferens ad diversos actus volendi, & nolendi, quia hoc in voluntate mea non erat sine imperfectione voluntatis, voluntas enim nostra erat libera ad oppositos actus, adhuc ut esset libera ad opposita objecta, & hoc propter limitationem utriusque actus respectu sui objecti; ergo posita illimitatione ejusdem voluntatis ad diversa objecta, non oportet propter libertatem ad opposita objecta ponere libertatem ad oppositos actus; ita Doctor ibi, quibus verbis ostendit opinionem Cajetani de divina libertate esse prorsus irrationabilem, quandoquidem eo realem additionem ab ipso positam actus liberi super entitatem actus necessarii, quae potuit non esse in Deo, ponit divinam voluntatem liberam ad oppositos actus, ut illis mediantibus possit tendere in opposita objecta, unde de divina voluntate discursit omnino, sicut decreta, quod est irrationabile praesens.

150 Recentiores quidam suppresso nomine ab Arriaga relati disp. 28. cit. sect. 4. dixere actus liberus esse formalitatem quandam veram, & realem, quae in Deo realiter potuit non esse, & adhuc cum Deo realiter identificatum, & ut argumenta jam facta evadant recurrit ad virtuales distinctionem, quae solent explicare distinctionem relationum originis ab essentia, dicunt talem formalitatem liberam ab actu necessario virtualiter distingui; quae sicut per hanc virtuales distinctionem possunt praedicta contradictoria essentiae, & relationibus convenire scilicet produci, & non produci, communicari, & non communicari, ita in presenti propter eam virtuales distinctionem potuisse illam formalitatem non esse, licet de divina essentia id verificari non possit; Contra quos Auctores acriter invehitur Arriaga citat. urgens principium metaphysicum jam relatum, quod duorum separabilitas sit semper, ac indispensabiliter signum sufficiens realis distinctionis inter illa, quo negato principio tota corruit Philosophia si enim voluero probare Petrum à Paulo realiter distingui, eo quod unus perire potest altero remanente, poterit quis negare consequentiam dicens per hoc probati solam distinctionem virtuales, quae omnino aequivalet reali.

151 Sed planè admissa ea distinctione virtuali, prout à Recentioribus explicatur, ac etiam ab ipsomet Arriaga alibi approbatur, quod sit omnino aequivalens reali, & sufficiat ad contradictoria verificanda à parte rei in divinis quae alioquin in creatis distinctionem inferrent realem, ac ex natura rei actualem, sane immerito conqueritur Arriaga, & non abs re illa eadem distinctione virtuali utuntur Recentiores illi in proposito de actibus Dei liberis, ut ostendant quomodo cum divina essentia realiter identificentur, & adhuc verificetur, quod ipsi potuerunt non esse, non autem divina essentia per solam distinctionem virtuales; & hoc adeò verum est, ut neque Arriaga id negare poterit, & ideo disput. 28. cit. num. 69. dixerit; ego illis fateor, argumenta, quae contra illos sunt desumpta ex convenientia duorum praedictorum contradictorium habere instantiam in mysterio Trinitatis, sepè enim diximus ibi sine distinctione reali praedicta contradictoria reperiri, ita ille. Neque suffragatur, quod ibidem immediate subdit dicens; in hoc tamen ipso oportet nos cautos esse, tot enim datae possimus praedicta contradictoria, ut destruantur omnia indicia distinctionis realis, quae ex aliquibus praedictis contradictoriis desumuntur, si enim distinctionem virtuales omnibus praedictis contradictoriis aequivalere dicamus, unde prohibetur Patrem, & filium distingui realiter; non ergo argumentari licet, possunt aliqua praedicta contradictoria convenire

ob distinctionem virtuales, ergo omnia; ergo ex hac parte non est bona instantia ex mysterio Trinitatis, Non inquam, hoc suffragatur, quia Recentioribus illis sufficit, quod si talis distinctio virtualis sufficiens est in mysterio Trinitatis ad concilianda talia contradictoria, quae in creatis distinctionem realem inferrent scilicet eandem rem communicari, & non communicari, produci, & non produci, pariter proposito sufficiens erit ad concilianda haec alia, quae pariter in creatis realem inferrent distinctionem scilicet necessario esse, quod de divina essentia verificatur, & necessario non esse, quod verificatur de actibus liberis sine praedictio realis identitatis eorum. Tum quia nulla potest reddi ratio, si illa virtualis distinctio ponitur semel in divinis aequivalere distinctio reali in creatis, cur sit tantum sufficiens ad verificanda contradictoria illa de essentia, & relationibus, & non illa de essentia, & actibus liberis.

Potius ergo ex eo capite refellendi sunt praefati Recentiores, quod virtuales illa distinctio, prout ab ipsis explicatur cum omnimoda aequivalentia ad distinctionem realem, sic penitus chimerica, & ficticia, eo quia per ipsam datur occasio protervis defendendi quolibet paradoxo quantumvis absurdum, & eludendi potiora principia Metaphysica, ut in proposito, quod separabilitas sit in universis sufficiens signum realis distinctionis inter ea, quae possunt separari, & etiam quia praedictur via in divinis ad probandam realem distinctionem inter divinas personas, ut arguam supra dist. praesent. num. 37. ac etiam in praesenti fateor Arriaga, cit. Neque eorum fundamentum est alicujus momenti, quoniam contradictoria illa de communicari, & non communicari, produci, non produci, non verificatur de essentia, & relationibus beneficio virtuales distinctionis, sed distinctio formalis ex natura rei, quam Scotus mediam agnoscat inter distinctionem simpliciter realem, & rationis sive ratiocinantis, sive ratiocinatae, ut dixi in hac disput. num. 48. ex dictis etiam facile impugnat modus dicendi aliorum Recentiorum, qui licet negant in Deo actum liberum esse perfectionem realem liberam contra Cajetanam, concedunt tamen dicere aliquam realem existentem ejusdem actus necessarii, & addere modum realem, qui ab aeterno potuerit convenire, & non convenire Deo, & ita aperte dicunt Fonseca, & Salas supra cit. possunt, inquam; ex dictis impugnari Auctores ita loquentes, vel ut talem modum actui necessario superadditum teipsa distinguunt ab entitate actus necessarii (sive talis distinctio realis appelleretur, sive modalis, non curto) & quia potuit absolute in Deo non esse, & in hoc sensu aperte Cajetani sententiam tenent, quam abhorret praestabantur, & solum discrepant in hoc, quod Cajetanus ajebat talem modum dicere aliquam in Deo perfectionem, quod ipsi negant, unde in puncto principali difficultatis conveniunt; Vel cum hoc quod licet in Deo esse non potuerit quantum est ab se, adhuc ponitur cum eo identificatus eo ipso, quod semel inest ab aeterno, & sic incidunt in alium modum defendendi opinionem Cajetani relatum num. 148. abunde paulo supra refutatum, ideoque in hoc ulterius immorari non est opus.

Nazarius par. 1. quaest. 19. art. 1. contro. unica sententiam Cajet. de perfectione libera Deo superaddita ad bonum sensum reducere nititur explicando quid talis perfectio importet in Deo, & inquit perfectionem liberam posse dupliciter intelligi, uno modo, ut sit libera, & voluntaria, quia libera, & voluntariae acquirunt, & ita conservantur, quomodo virtutes morales acquirunt perfectiones liberae, & voluntariae, & in hoc sensu aeternum esse potest perfectiones liberae, & voluntarias in Deo; alio modo dicitur perfectio libera, & voluntaria propter liberam, & voluntariam habitudinem ad objectum, cui communicatur divinae perfectionis similitudo, quia scilicet ex natura sua non habet, ut ad tale objectum necessario ordinetur, quia ab eo non dependet nec secundum esse, nec secundum intrinsecam suam perfectionem, sed potest esse, & habere suam perfectionem sine illo; & hoc modo (inquit) ponit Cajet. perfectionem liberam in Deo, quae perfectio libera est ipse actus divinae voluntatis, qui ut terminatur ad bonitatem, & essentiam divinam est perfectio Dei naturalis; ut autem respicit creaturas, vel ut est proximum fundamentum relationis ad creaturas, tanquam volitam, sic est perfectio voluntaria, & omnino libera, quia potuit Deus abque detrimento suae perfectionis actum suae volitionis ad creaturas non extendere.

Haec declaratio ad summum satisfacere posset argumentum cui

to euidam, quod solet in Cajetanum urgeri, quod si hoc velle liberum reale adderet Deo perfectionem, non esset Deus in se infinite perfectus, nec pelagus omnium perfectionum, sed complementum sue perfectionis à creatis rebus acciperet, atque ideo non esset Deus à rebus creatis omnino independens in sua consummata perfectione; ceterum non tantum hac declaratio præcipuum difficultatis punctum, quam superius contra Cajet. urgebam scilicet non posse talem perfectionem liberam aliquid reale Deo superaddere, quod poterit non esse in Deo, quia tunc verè poneretur aliquid accidens reale Deo intrinsecum, quod quantum est de se, potuisset abesse absque præiudicio entitatis divine; quod si dicatur etiam huic puncto ex præfata declaratione perfectionis liberæ satisfieri, quia talis perfectio libera, ut sic non dicit, nisi habitudinem rationis ad objectum creatum, ad quod extenditur actus ipsa divine voluntatis; jam hoc non est defendere Cajetani planè placitum asserentis velle Deo liberam ad extra impotente in Deo perfectionem realem; & aliquid ei reipsa superaddidit, quod ab æterno poterat non esse in Deo; explicando autem illum per solam rationis habitudinem, ut facit Nazarius, recidimus in primum modum explicandi volitionem Dei liberam per respectum rationis jam ab initio explosum; neque hoc bene dicitur ad mentem Cajet. qui tales perfectiones liberæ in Deo reponens, semper asseruit esse reales, quia etiam in nobis esse liberum dicit perfectionem realem, cum sit vitale exercitium potentie liberæ, quod non videtur Deo denegandum ad extra, siquidem maxima imperfectio esset in Deo circa creaturas futuras operari necessario.

154 Quartus, & valde frequens, ac plausibilis modus conciliandi immutabilitatem cum libertate in Deo est asserentium volitionem liberam in Deo esse ipsam actum necessarium divinæ voluntatis, ut liberè connotantem extrinsecam productionem effectus liberè à se dependentis; ita Turrianus opus. 5. disp. 2. dub. 4. Amic. cit. disp. 14. sec. 3. num. 82. pro quo citat Arrubal. pet. 1. disp. 44. cap. 3. Granad. p. 1. tract. 3. disp. 5. sec. 3. Alarcon. de voluntate Dei disp. 4. cap. 8. & ex antiquis Alenssem. p. 1. q. 74. memb. 2. Aureolum p. d. 47. art. 1. & 2. & Altihsidorien. lib. 1. cap. 12. q. 1. Fundamentum præcipuum est, quia per hunc dicendi modum faciliè diluitur difficultas ab initio controversiæ proposita, quomodo actus liber Deo convenit, cum ea ratione, qua liber est, poterit esse, & non esse voluntate divina; nam talis denominatio liberi convenit actui necessario divinæ voluntatis ratione extrinsecæ connotati, quod potuit esse, & non esse; explicatur etiam quomodo de eodem actu simplicissimo divinæ voluntatis contradictoria verificari possint absque repugnantia, nam ratione propriæ entitatis Deo intrinsecæ nequit omnino non esse, cum sit profusus necesse esse; ratione verò extrinsecæ connotati, quod est contingens, potest esse, & non esse; ita etiam sentit Averfa p. 1. q. 19. sect. 11. citans Scotum. de cuius mente infra.

155 Cæterum neque hic quartus modus dicendi sufficienter rem explicat, quamvis enim bene dicat volitionem liberam Dei intrinsecæ, & essentialiter includere perfectionem volitionis divine, qua seipsum necessario amat; malè tamen addit ad eandem spectare, ut liberam, in ratione connotati extrinsecæ actualium productionem, vel causalitatem, qua Deus in tempore ad extra effectum creatum est producturus; Ratio est, quia quoad hanc partem omnino coincidit cum opinione Aureoli jam relata, qui dicebat libertatem divinæ volitionis supra ejus entitatem necessariam nil addere præter denominationem extrinsecam desumptam ex creaturis ipsis in tempore productis; quare omnes difficultates incurrit illius sententia, cum tale connotatum ab hac sententia positum, ut necessarium ad denominandam Dei volitionem liberam, non habeatur, nisi in tempore, productio siquidem creaturam in esse reali à divina volitione est in tempore, non ab æterno. Tum quia antecedenter ad huiusmodi connotatum intelligitur completè actus liber in Deo; ergo talem denominationem nequit à creatura producta, vel ejus productione mendicare, velut à connotato; consequentia patet, probatur assumptum, quia volitio libera Dei, ut sic, est causa existentie creature, & productionis ejus, ideo enim existit creatura, quia Deus vult liberè illam existere, non autem è contra; ergo autem huiusmodi connotatum habetur completè voluntas libera Dei. Tum quia hæc ipsa actio distincta, qua effectus in tempore producit, & voluntas Dei juxta hanc opinionem in esse liberæ completur, est ipsa quoque effectus decreti divini; ergo non potest ad illud pertinere, nec ut formale ejus constitutum; neque ut connotatum neces-

sarium pro denominatione liberi; antecedens patet; quia actio illa, seu causalitas Dei ad extra vel est ipsemet effectus ad extra productus, vel aliquid medium inter Deum, ac terminum per ipsam productum, & quomodocumque dicatur etiam ipsa est creatura, & aliquid Dei effectus; Consequenter verò probatur, quia effectus nullo modo pertinere potest ad constitutionem cause, ut est ejus principium, quia est illa posterior saltem origine, & omnino illam supponens. Tum quia, licet causa sub ratione respectiva causa considerata connotet effectum per ipsam productum, tamen fundamentaliter considerata, & sub ratione absoluta est prior natura ipso effectu etiam in eodem temporis instanti, quo effectus producit, prius enim est effectum pendere à causa, quam effectum esse absolute in se extra causam, & præcisum à causa; unde valet hæc causalitas, ideo effectus est in se, quia est à causa, & quia causa actualiter causat effectum, ideo effectus est in se extra causam; ergo si actus liber in Deo est causa creaturæ, & productionis ejus, antecedenter ad illam completè intelligitur in esse reali, etiam si sub ratione respectiva, vel connotativa consideratus involvat in suo conceptu, tanquam connotatum, effectum extra productum, vel ejus productionem.

Respondet Turrianus loc. cit. si volitio libera sumatur secundum intrinsecam perfectionem actus Dei esse priorem causalitate, si vero sumatur, ut libera formaliter secundum connotatum, est quidem prior termino secundum rationem ideo effectum productum per ipsam, non tamen intelligitur prior ipsa causalitate, licet principium ipsum causalitatis prius sit nempè volitio intrinsecæ Dei, quæ est principium futuri effectus; quia etiam responsione utitur Amicus loc. cit. numer. 102. unde infert, quod si cut actio, qua producit creaturam antecedit ipsam creaturam, ut terminum productum, ita volitio Dei, quæ formaliter constituitur libera per connotationem solius actionis, antecedit ipsam creaturam, ut terminum productum, & in hoc sensu vera est illa causalitas, ideo Deus fecit creaturas, quia voluit. Contra quia actio, qua creaturam producit à Deo, non est aliquid reipsa distinctum ab ipsa creatura producta, unde creatio Angeli reipsa identificatur cum Angelo producto, nec est aliquid te vera medium inter Deum, & Angelum; ergo si volitio, ut libera est prior effectu productum, vel est ejus causa, sic etiam erit prior ipsa actione, qua talis affectus producit; Tum, quia si actio revera mediat inter volitionem Dei liberam, & effectum productum; ergo sicut hæc de causa intelligitur præcedere effectum, sicut via præcedit terminum, sic pariter eadem de causa volitio libera Dei præcedet actionem mediam, sicut principium via intelligitur ipsam quoque viam præcedere. Tum quia, ut supra urgebatur, hæc ipsa actio licet comparata ad terminum per ipsam productum habeat rationem causalitatis, & actionis, comparata tamen in ordine ad Deum, vel volitionem liberam Dei circa ejus existentiam habet rationem effectus, cum enim sit creatura de novo existens, debet à Deo produci (sive actione alia media, sive non, parum curo, sufficere enim mihi, quod verè sit ab alio, cum sit creatura) & tunc assignanda erit libera volitio, qua volit, & causata sit ipsa hæc actio, unde de actione recurrit idem argumentum, quod sibi de effectu per ipsam productum.

Respondet ulterius Amicus cit. volitionem Dei non esse causam creaturam, ut formaliter liberam, ac veluti in actu secundo, sic enim connotat creaturas, & in suo conceptu involvit illas tanquam necessarium connotatum, ut libera dicatur; sed est causa creaturam, quatenus est libera veluti in actu primo, seu quatenus est liberum principium productum ad extra, & ut sic præcedit illas, cum quæ coincidit responsio Averfa loc. cit. Contra, quia cum a) in Philosophi causam præcedere effectum prioritate nature, quæ explicatur per dependentiam hujus ab illa; non tantum loquuntur de causa in actu primo; quatenus causalitativa, sed etiam in actu secundo, quia etiam quatenus actu causans præcedit effectum prioritate nature, quæ explicatur per independentiam, & effectus dicitur posterior, quia etiam in ipsa causationis instanti dicitur existere ex vi cause; unde ut supra dicebamus, licet causa & effectus sub ratione respectiva, seu connotativa considerati sint simul natura, tamen absolutum causæ præcedit absolutum effectus prioritate nature, vel originis, quæ dicitur independentis, etiam cum est actu causans, quatenus unum habet esse ex vi alterius; ergo divina volitio etiam ut actu causans, & ut libera in actu secundo præcedit

dit effectum ad extra productum, & in illo priori signo nature concipitur libera absque connotatione effectus producti, aut productionis ejus; frustra ergo ad hoc connotatum recurrit, ut divina volitio dicatur formaliter libera, & in actu secundo, cum antecedenter ad illud intelligatur formaliter libera. Conf. quia etiam si causa in actu secundo, seu ut actu causans, nequeat sic concipi, nisi involvatur effectus; quia ut causans dicitur habitudinem ad terminum causalitatis suæ, attamen non involvit effectum quomodocumque consideratum, sed cum habitudine ad causam, sive ut pendente à causa, & existentem ex vi cause; ergo cum tali similitudine nature adhuc stat prioritas alterius rationis cause ad effectum, quæ explicatur per dependentiam effectus à causa etiam in eodem prioris instanti, quo causatur ab ea; ergo quomodocumque loquamur de volitione libera Dei, sive ut causalitativa, sive ut actu causante creaturam semper præcedit creaturam, sive ut existentem in tempore, sive ut ab æterno futuram cum completa denominatione libertatis ad extra.

158 Rursus, id per quod Deus est causa creaturam, debet esse aliquid incrementum; sed est causa per actum liberum, ergo actus liber est aliquid incrementum in Deo; ergo non involvitur in ejus essentiali constitutione aliquid creatum etiam tanquam connotatum. Respondet Turrian. cit. id per quod Deus est causa, tanquam per principium esse aliquid incrementum, nempè volitionem ipsam intrinsecam Dei, non tamen id, per quod est causa, tanquam per interjectam viam, & mediam causalitatem, quæ conjungitur termino, cujus principium est volitio intrinsecæ Dei. Contra, nam in primitivum esse in universum causalitatem efficientis esse aliquid te vera medians inter causam, & effectum, ut probatur est in Phys. disp. de causa efficiente ex Scoto 2. distinct. 1. quæst. 2. ad p. prin. ubi ait, quod ad absolutum in causa immediate sequitur absolutum in effectu. Deinde quia recurrit idem argumentum de illa actione media inter causam, & effectum, nam illa utique est entitas creata, cum non sita se, sed ab alio, & illa de novo fit a Deo, quia liberè vult Deus illam producere; ergo assignanda est libera volitio, qua volit, & causata sit illa ipsa actio, & hæc utique erit aliquid incrementum. Si dicas actionem nec produci, nec fieri, quia ad actionem non datur actio ex 5. Phys. Contra, verum est ad actionem non dari aliam actionem superadditam, per quam fiat, alioquin daretur processum in infinitum; cæterum aliud est non fieri per actionem superadditam, aliud est absolute non fieri absolute ergo fit illa actio, cum non sit entitas à se, licet non fiat per actionem superadditam.

Denique datur aliqua libera volitio in Deo, cui nulla correspondet productio ad extra, ergo libera Dei volitio non sufficienter salvatur per connotationem productionis ad extra; consequentia patet, & probatur assumptum, quia Deus non solum liberè vult, quæ sunt futura, sed etiam decreto libero decrevit, quæ non sunt futura; Deus enim positive se habet circa omnia objecta positive volendo, vel ut existant, vel ut non existant, quandoquidem magna foret imperfectio in divina voluntate, ut circa non futura, suspensa maneret per totam æternitatem; circa autem huiusmodi objecta non datur ex parte creaturam quidquam, quo completur positiva volitio Dei in esse liberi.

159 Respondet Amicus ipsammet negationem productionis huiusmodi objectorum ad extra habere à Deo dependentiam, esse sufficientem terminum liberæ volitionis divine; quia Deus non dicitur nolle formaliter per negationem productionis, sed per ipsam actum positivum suæ voluntatis, ut connotantem negationem productionis liberæ à se dependentis; quia cum posset talem negationem tollere per oppositam productionem: dum eam non tollit, dicitur talem negationem liberè, ac vitaliter velle, & consequenter ejus oppositam productionem liberè, ac vitaliter nolle. Contra, non eo ipso, quo Deus non tollit negationem alterius mundi procedendi, dicitur talem negationem positive velle, & ejus oppositam productionem positive nolle; ratio est, quia talis negatio orti potest nedum ex positiva volitione talis negationis, & positiva volitione productionis oppositæ, sed etiam ex pura omissione, aut simpliciter suspensione, quam ponatur habere Deus circa productionem alterius mundi; Si enim, quam si positive velle ejus negationem, & positive nolle ejus productionem; ergo sola negatio productionis alterius mundi non est ita sufficienter terminus liberæ volitionis divine, quin tamen tali negatione æquè bene posset dici di-

vidua voluntas pure omittive, & suspensive se habere circa productionem ei oppositam; probatur consequentia, quia tam mundus alter non erit, si circa ejus productionem ponatur divina voluntas suspensa manere, quam si ponatur positive eam nolle. Conf. ille non est sufficiens terminus ad arguendam, & complendam liberam, & positivam Dei volitionem, qui posset haberi nullo actu positivo divine voluntatis existentis circa ipsum; ad negatio alterius mundi futuri est huiusmodi; ergo non est sufficiens ad constituendam liberam, & positivam Dei volitionem de non producendo alio mundo, maior patet, probatur minor, quia ut dicebam, posita sola suspensione divine voluntatis circa alium mundum producendum habebitur negatio alterius mundi, nam talis negatio nequit excludi, nisi per positivam volitionem productionis alterius mundi, Conf. adhuc, quia ex sola ablacione caloris à subiecto non sequitur, quod sit frigidum, sed tantum quod non sit calidum; ergo pariter ex sola negatione productionis alterius mundi, non sequitur positiva volitio talis negationis, aut positiva volitio talis productionis, sed sola suspensio actus circa productionem alterius orbis, ergo sola suspensio non est sufficiens ad constituendam liberam volitionem in Deo.

ARTICULUS TERTIUS.

Proponitur alius dicendi modus, & objectiones solvuntur.

160 Quintus, & ultimus dicendi modus, ac cæteris dignior Scoti part. dist. 39. quæst. un. §. iuxta prædicta ubi profunde docet liberum velle in Deo esse ipsummet actum necessarium, quo diligit seipsum, ob sui illimitationem, & intrinsecam divinæ voluntatis indifferentiam ad creaturas actuales seipso liberè terminatum vel per modum volitionis, vel per modum nolitionis absque ulla sui mutatione, vel augmento intensivo, vel extensivo reali, unde cum huiusmodi libera terminatio, quæ potuit Deo adesse, & abesse ab æterno, nihil à parte rei addat subiectivè se tenens ex parte divinæ voluntatis, sequitur nullam in Deo supponere mutabilitatem subiectivam ad actum formalem ordinatum, in quo puncto tota huius quæstionis difficultas consistit. Quem dicendi modum, ut cæteris digniorem pro explicanda divina libertate sequuntur Recentiores passim tam nostri, quam exteri, Doctorem subtilium agnoscunt, ut unicuique eius auctorem, ita Suarez disp. 39. Met. sec. p. Zamel p. part. quæst. 19. disp. 2. Nazarius ibid. controv. un. Machir. p. part. disp. 41. sect. 3. Becan. tom. 1. cap. 11. quæst. 4. Fasul. pr. part. quæst. 19. artic. 3. dub. 8. Lezana tom. 1. tractat. 4. disp. 5. quæst. 7. Smilhem. cit. tractat. 2. disp. 3. quæst. 1. Vulpes tom. 2. pr. part. disp. 33. art. 3. & alij passim. Hoc autem fuit Doctor. loc. cit. declarando quid sit de conceptu libertatis simpliciter, ut præfendit à creata, & increata, & quid perfectionis importet libertas increata super creatam; docet ergo in nobis triplicem esse libertatem, prima est ad oppositos actus; secunda ad opposita objecta; tertia ad oppositos effectus; prima dicitur imperfectio in voluntate creata, est enim voluntas nostra libera ad oppositos actus ad hoc, ut sit libera ad opposita objecta, & hoc propter limitationem utriusque actus respectu sui objecti; ergo posita illimitatione eiusdem volitionis ad diversa objecta, non oportet propter libertatem ad opposita objecta ponere libertatem ad oppositos actus. Ipsa etiam voluntas divina libera est ad oppositos effectus, sed hæc non est prima libertas, sicut neque in nobis; cum supponat aliam priorem, nempè ad opposita objecta, nam prius est velle objectum, quam producere effectum; remanet ergo secunda libertas, quæ est per se perfectionis, & sine imperfectioe scilicet ad opposita objecta, ita quod fuerit voluntas nostra potest diversis volitionibus tendere in diversa volubilia, ita illa voluntas potest unica volitione simpliciter illimitata tendere in quæcumque volubilia.

Ex qua doctrina statim infert Doctor §. quantum ad secundum quod voluntas divina nihil aliud respicit necessarium pro objecto absentia sua, ad quodlibet igitur aliud contingenter se habet, ita quod posset esse oppositæ, & hoc considerando ipsam, ut est prior naturaliter tendentia in illud objectum; nec solum ipsa, ut voluntas prior est naturaliter suo actu, sed etiam in quantum volens, quia sicut voluntas nostra, ut prior naturaliter suo actu, ita elicit actum illum, quod possit in eodem instanti elicere oppositum, sic voluntas divina, in quantum ipsa est sub volitione, est prior